



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Meditatio de duobus vexillis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

fugere quod apertè malum est, & quod constat esse melius, sequi; hoc enim, vt diximus, non cadit in electionem. Vt quis primum obtineat, conuenit scire, quòd ad fugienda mala dirigantur omnia Exercitia primæ Septimanæ; & ad secundum obtinendum, quod est, omnia amplecti quæ manifestè meliora sunt, dirigantur quatuor illæ, de quibus suprà, Meditationes secundæ Septimanæ: quia in primâ, quæ est de Regno Christi, excitatur firma Christum sequendi voluntas; & illa paulatim in aliis tribus magis & magis perficitur, vt suo loco videbimus.

MEDITATIO

DE DVOBVS VEXILLIS.

HOc die fiet hæc de duobus vexillis Meditatio; quam S. Pater noster in suo Libro ponit pro quarto die Septimanæ secundæ.

K

Textus

Textus Exercitiorum S. Patris nostri
sic habet:

*Quarta die fiet Meditatio de
duobus vexillis. Uno quidem
IESV CHRISTI optimi no-
stri Imperatoris, altero verò
Luciferi, hostis hominum ca-
pitalissimi.*

ORATIO PRAEPARATORIA
fit secundum morem.

PRAELVDIVM PRIMVM
*erit historica quaedam consideratio
Christi ex vnâ parte, et ex alterâ Lu-
ciferi; quorum uterque omnes homi-
nes ad se vocat, sub vexillo suo con-
gregandos.*

SECVDVM est ad constru-
ctionem loci, vt representetur nobis
campus amplissimus circa Ierosoly-
mam;

*nam; in quo Dominus IESVS CHRIS-
TVS, tamquam bonorum omnium
summus Dux, assistat. Rursum alter
campus in Babyloniâ, vbi se Lucifer
malorum & aduersariorum ducem ex-
hibeat.*

*TERTIVM ad gratiam peten-
dam illud erit, vt poscamus explora-
tas habere fraudes mali ducis, inuo-
catâ simul diuinâ ope ad eas vitan-
das; veri autem optimique Imperato-
ris Christi agnoscere mores ingenuos,
ac per gratiam imitari posse.*

*PVNCTVM PRIMVM est,
imaginari coram oculis meis, apud
campum Babylonicum ducem impio-
rum in cathedrâ igneâ & fumosâ se-
dere, horribilem figurâ, vultuque ter-
ribilem.*

*SECVNDVM est, aduertere
quomodo convocatos demones innu-*

K 2

meros

meros per totum orbem spargat ad nocendum, nullis ciuitatibus & locis, nullis personarum generibus immunibus relictis.

TERTIUM, attendere cuiusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, vt, correptis iniectisque laqueis & catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem diuitiarum, vnde postea faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiae barathrum deturbari queant.

Atque ita tres sunt præcipui tentationum gradus, in diuitiis, honoribus, & superbiâ fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia præceps fit decursus.

Similiter ex opposito considerandus est summus optimusque noster Dux & Imperator Christus.

PUNCTVM PRIMVM erit,
 conspiciari Christum in amœno campo
 iuxta Ierosolymam, humili quidem
 constitutum loco, sed valdè speciosum
 formâ, & aspectu summè amabilem.

SECUNDVM autem est, spe-
 culari quo pacto ipse mundi Dominus
 uniuersi electos Apostolos, discipulos
 & ministros alios per orbem mittat;
 qui omni hominum generi, statui &
 conditioni doctrinam sacram ac saluti-
 feram impertiant.

TERTIVM, auscultare concio-
 nem Christi exhortatoriam ad seruos
 & amicos suos omnes in opus tale de-
 stinatos, quâ eis precipit ut iuuare
 studeant quemlibet, ac primò inducen-
 dum curent ad spiritualem affectum
 paupertatis, & insuper (si diuini ob-
 sequij ratio & electio celestis eò ferat)
 ad sectandam actu ipso veram pau-

pertatem; deinde, ut ad opprobrii contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur. Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abiectio sui, atque humilitas, quæ ex diametro diuitiis, honori, & superbiæ opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.

Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim, & manere sub vexillo; idque primò per spiritualem tantum paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam (si quidem ad eam me vocare atque admittere dignabitur) deinde per abiectiorem quoque seu ignominiam, ut ipsum imiter viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei tam in alicuius detrimentum

mentum

mentum quàm in offensam Dei cedat. Terminabitur primum hoc colloquium per Ave Maria.

Secundum colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi à Patre impetret illud idem; subdeturque in fine Oratio, Anima Christi.

Tertium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum Pater noster.

Finis huius Meditationis est, suppositâ voluntate, quam in primâ Meditatione excitauimus, sequendi Christum Dominum nostrum, scire, in quibus rebus particularibus illum imitari debeamus; & posito quòd nos ad bellum vocet, scire, in quibus rebus & cui debeamus bellum indicere. Hoc nos docet S. Pater noster sub similitudine duorum Ducum, & duorum vexillorum: quia, ut erat miles, in militaribus semper exercitiis educatus, hoc ei sic reuelauit, eumque docuit Deus Dominus noster per istam allegoriam